Noverint universi quod nos Guillelmus de Manana de Val et Guillelmus eius filius parrochie de Villablarexio, gratis et ex certa sciencia per nos et nostros successores in terris et possessionibus infrascriptis, confitemur et recognoscimus vobis venerabili et religiose domine Ermessendi dei gracia abbatisse monasterii Sancti Danielis Gerunde, licet absenti tanquam presenti, in posse notarii infrascripti tanquam publice persone ut infra stipulantis et recipientis, quod tenemus pro vobis et dicto monasterio ad directum dominium hospicium et terras et possessiones infrascriptas quod et que fuerunt de pertinenciis mansi Bremondi parrochie de Villablarexio. Et primo videlicet tenemus pro vobis hospicium sive domos dicti mansi Bremondi cum clauso sive quintano terre ipsi hospicio sive domibus contiguo versus meridiem et occidentem. Et cum [illegible] que sunt in aliqua parte dicti quintani. Que pecia continet circa sex eminatas terre prout affrontat ab oriente in honore mansi Guitardi de Villablarexio, a meridie in honore venerabilis Bernardi de Agiario canonici Gerunde, ab occidente in alio honore nostro qui fuit mansi Ferrarii prout dividit per terminos ibi fixos, a circio in honore Bernardi Monis de Villablarexio. Item tenemus pro vobis et dicto monasterio quandam peciam terre in dicta parrochia de Villablarexio in loco vocato Puig Ferrer, et continet circa unam versanam, prout affrontat ab oriente in alio honore nostro qui fuit dicti mansi Ferrarii prout dividit per terminos ibi fixos, a meridie in honore mansi Stephani mediante quodam rivo qui ibi est, ab occidente in alio honore nostro qui fuit dicti mansi Ferrarii prout est terminatum, a circio in honore mansi de Granullariis parrochie de Montefoliano. Item tenemus pro vobis et dicto monasterio quandam possessionem terre in dicta parrochia de Villablarexio in loco vocato de Vallsoberes, que possessio continet decem eminatas et ultra, prout affrontat ab oriente in alio honore nostro qui fuit dicti mansi Ferrarii prout est terminatum, a meridie in honore mansi Guitardi de Villablarexio, ab occidente in honore mansi de Vallelupparia de Montefoliano, a circio in honore mansi de Granullariis dicti loci de Montefoliano. Item tenemus pro vobis et dicto monasterio in dicta parrochia de Villablarexio in loco vocato Puig Mijan quandam magnam possessionem terre que continet quadraginta versanas et ultra, prout affrontat ab oriente in honore mansi de Villa de Villablarexio, ab occidente in alio honore nostro qui fuit dicti mansi Ferrarii prout est terminatum, a circio in honore mansi Stephani de Villablarexio. Et ratione dictarum terrarum et possessionum et hospicii sive domorum facimus et prestamus ac facere et prestare tenemur et promittimus vobis dicte venerabili domine abbatisse et vestris successoribus in dicto monasterio annuatim censum in festo sanctorum Petri et Felicis quatuordecim solidos monete Barchinone de terno qui sunt de numero illorum quinquaginta solidorum qui vobis dicte domine abbatisse et dicto monasterio fiunt et prestantur et fieri et prestari debent annuatim pro censu in dicto festo ratione dicti mansi Bremondi et eius terrarum et possessionum. Et est verum et certum quod ratione predictarum terrarum quas pro vobis dicta domina abbatissa ut predicitur tenemus facimus et facere tenemur [illegible] de Villablarexio [illegible] mansi Bremondi. Et omnia tria laudimia et foriscapia ex predictis hospicio et terris quod et quas pro vobis dicta domina abbatissa tenemus ut superius declaratur provenientia sunt et esse debent vestri dicte domine abbatisse et successorum vestrarum in dicto monasterio, vosque et vestre successores in monasterio prelibato habetis et habere debetis et habent et habere debent in predictis [illegible] fatigas et ius [illegible] et alia omnia et singula ad directum dominium pertinentia. Et est certum quod omnia supradicta que vobis dicte domine abbatisse ut predicitur recognoscimus pervenerunt nobis titulo et ex causa venditionis perpetualis inde nobis facte per Jacobum Nathalis parrochie de Lambilliis nomine suo proprio et nomine procuratorio Petri Bernardi parrochie de Quartu, et religiosi fratris Guillelmi Bernardi ordinis sancte Anne Barchinone, et Guillelme uxoris Berengarii de Rimba de Sauarresio parrochie de Fontecohopertu, et Bonanate uxoris Berengarii Nathalis dicte parrochie de Quartu. Quos Jacobum Nathalis, Petrum Bernardi, fratrem Guillelmum Bernardi, Guillelmam et Bonanatam predicta que pro vobis dicta domina abbatissa tenemus et totum mansum Bremondi cum suis terris et possessionibus pertinebant tanquam filios legittimos et naturales Ferrarii Bernardi et domine Brunissendis eius uxoris quondam dicte parrochie de Quartu, et hoc vigore [illegible] sive substitucionis appositi et apposite in hereditamento quod Nathalis Bremondi quondam dominus utilis et proprietarius dicti mansi Bremondi et domina Ermessendis eius uxor quondam fecerunt de dicto manso et aliis eorum bonis Petro Bremondi quondam eorum filio avunculo predictorum superius nominatorum prout hec et alia in instrumento venditionis nobis facte de predictis per dictum Jacobum Nathalis nominibus predictis die et anno infrascriptis in posse notarii infrascripti lacius continentur. Jurantes per deum et eius sancta quatuor evangelia a nobis corporaliter tacta predicta fore vera prout superius per nos recognita sunt et confessa. Hec igitur omnia et singula supradicta facimus paciscimur promittimus et juramus in manu et posse notarii infrascripti tanquam publice persone nomine vestri dicte domine abbatisse absentis et aliorum omnium quorum interest et intererit in futurum stipulantis recipientis et legitime paciscentis. Actum est hoc Gerunde undecima die Septembris anno a nativitate domini millesimo trecentesimo sexagesimo quinto. Signum Guillelmi de Manana de Val. Signum Guillelmi eius filii predictorum qui hec firmamus et laudamus pariterque juramus.

Testes huius rei sunt discretus Petrus Mironi clericus sedis Gerunde et Petrus Bartholomei parrochie de Lambilliis.

Signum Guillelmi Loberii notarii publici substituti auctoritate regia a Jasperto de Campolongo et Francisco Sancti Mauricii publicis Gerunde notariis, qui hec scribi fecit et clausit cum raso et emendato in iiii linea ubi dicitur domos et in xv linea ubi dicitur quatuordecim.

Nº. 14 Llibre 22 f. 40

11-9-1365

Capbreu del mas Bremon de Vilablarex q[ue] te en M[i]q[ue]l Ysarn a[ra] de vall per lo monastir de S[an]t Daniel en l'any de M.CCC.LXV. A 11 7bre 1365.

nº 904

Vilablarex.

T. 390 x 415

AC f. 80v Pergamí 3 del plec prime de Vilablareix

957